

1+2 / 86

IDIBUS FEBRUARIIS

MCMLXXXVI

ARIUS
R VARIUS I
MOR VARIUS F
RVMOR VARIUS F

RVMOR VARIUS

RVMOR VARIUS
R VARIUS
RIUS

TOMUS 9

FASC. 57

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Egregii legentes

Libellus Rumoris Varii pro mense Decembre propositus pro-
missusque non prius quam mense Ianuario accepistis. Oro vos
et obsecro, ut nobis redactoribus ignoscatis, quod ita
factum sit! Nunc quidem nobis redactoribus - simile enim
iam praeterito anno evenerat - nulla culpa! Nunc enim neque
pigriores fuimus neque ante festos dies natales Christi nec
postea, quam ut praeter munerea nostra cottidiana RVMORI
VARIO etiam conficiendo dederimus operam neque eius
exemplaria, ut divulgentur inter vos, serius cursui postali
apportavimus. Dilationis libellorum divulgandorum causa
vera nunc quidem fuit haec: Officia postalia Helvetica sic
ut "nostrum" Turicense inter dies natales Christi et finem
anni erant clausa; qui autem in iis munere suo fungi
solent, illis diebus festis otio fruebantur bene merito....
Ita iterum accidit, ut libellorum divulgatio primis tantum
diebus novi anni facta sit. Qua re reposco, ne cuiquam
irascatis, cari legentes! Sin autem facere non potestis,
quin cuiquam irascatis, in simultate sitis cum calenda-
rio...

Plura verba non addam, quo plus spatii in hoc libello
symbolis novis relinquatur.

Valete!

U. Aeschlimann
Udalricus Aeschlimann

**Seminaria "Latinitatis Vivae" Anni 1986ⁱ
Helveticum et Vestendense et Bottropiense**

39. Morsaci (Morschach) in Helvetia, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur: 27.7. - 2.8.1986.
40. Vestendae in Belgica (ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant: 16. - 23.8.1986.
41. Bottropii (Bottrop), in urbe Rhenaniae Vestfalicae: seminarium duarum septimanarum, quibus consuetudo loquendi in usum expeditiorem evadere solet: 24. 8. - 6.9.1986.

Haec seminaria sermonis Latini suscipiet et exercenda et moderanda P. Dr. C. Eichenseer, Saravipontanus.

Antemeridianis horis (ternis) fient colloquiorum exercitationes et explicationes verborum (recentiorum) et disceptationes. Postmeridianis horis (binis) fient exercitationes grammaticales et repetitiones materiarum ante meridiem propositarum vel occasiones praebebuntur propositionum et disputationum vel exercitiorum Latine docendi.

Denique cottidie ab hora duodevicesima per quadrantem horae phonetice Latina tractabitur, cuius tamen participatio omnino libera est.

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 marcae Germanicae, duarum septimanarum 240 marcae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA, 18353-661, Postgiroamt Saarbrücken, Deutschland

Hoc pretio non includitur pecunia pro habitatione et victu solvenda, quae summa in singulis deversoriis vel hospitiis solvenda est.

Helveticum seminarium qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent defini-

tive, si tardissime, usque ad diem 15^{um} mensis Maii anni 1986ⁱ, ad Ericam Roth, Aeschistr. 6, CH-3110 Münsingen (tel. 031 92 08 23)

Vestendense seminarium qui participare volunt, mittant epistulas chartulasve interrogatorias ad D.rem Guy Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

Bottropiense seminarium qui participare volunt, mittant epistulas chartulasve interrogatorias ad Rochum Habitzky, Albertus-Magnus-Strasse 7, D-4100 Duisburg 25 (tel. 0203 78 14 30)

Seminariis Vestendensi et Bottropiensi, si tardissime sex septimanis ante initium nomina danda sunt (definitive).

Societas Latina
Saravipontana

Litterae ad editores

De vocabulis Latinis recentioribus

Inter Latine scientes - ceteros enim hic praetermittam - rixa perpetua est, utrum lingua Latina tantummodo sit praeterita, transacta, mortua neque sit fas eam colere quam si vivam et hodiernam, an sit etiam apta temporibus nostris. Nos, i.e. legentes et moderantes RVMOREM VARIVM, constat versari inter partem eorum, qui vivam colant Latinitatem.

Talis autem vitalitas, ut ita dicam, plerisque nostrum non gaudium tantum, sed difficultates quoque affert quasdam propter multitudinem vocabulorum recentiorum a Romanis antiquis ignotorum. Qui Ciceroniano tantum more scribere vel loqui ausus erit, non omnia exprimere poterit, quae pertinent ad res hodiernas, cum Cicero ignoraverit multas res technicas hodie ab unoquoque homine usitatas.

"Ciceroniani", quos dicam, expressiones modernas multis verbis vel totis sententiis in linguam Latinam vertentes auxilium idoneum se invenisse arbitrantur. Exempla vobis afferam excerpta e Danielis Weissmanni "De itinere Romam nuper facta" narratiuncula in RVMORE VARIO Idibus Decembris anno 1985^o divulgato (Danielem, qui mihi est familiarissimus, veniam benigne daturum spero; nolo enim eum reprehendere, sed tantum notiones paululum aptiores proponere audeo).

In pagina 138^a e.g. exemplaris supra dicti legitur expressio haec: "parvae res memoriam evocantes, quas 'Souvenirs' dicimus." Nemo Theodisce "kleine Dinge, die uns etwas in Erinnerung rufen" diceret neque taliter aliis linguis nisi forsitan in lexico, ubi vocabulum "Souvenir" explicetur. Necesse erit igitur in loquendo adhibeamus expressiones quam brevissimas neque non rem exacte describentes. Pro "Souvenir" in Lexico Auxiliari theodisco-latino "res memorialis" invenitur.

"Renaissance", quam Daniel noster "illud saeculum, quo opera antiquorum renascebantur et cui itaque nomen 'Renaissance' datum est" vertit, (p. 139^a) facilius verbo "renascentiae" verti potest (et licet!). "Instrumentum mechanicum ad scribendum" (p. 140^a) nil aliud est nisi "machina scriptoria", "illa machina computans et pecuniam conservans" (140^a) simplex est "arca nummaria". "Vehicula publica" (p. 140^a) aut sunt "tramina urbana" (Trams, Strassenbahnen) aut "coenautocineta" (Autobusse) (ceterum vides illud vehiculum, quod "Auto" vocamus, Latine non "automobile", sed "autocinetum" vel "autoraeda" dicitur).

Praeter expressiones technicas et regiones, terrae, oppida, fluvii ceteraque ad geographiam pertinentia quasdam praebent difficultates. His in rebus vel sunt adhibenda nomina antiqua, si exstant, vel nomina recentiora ab iis proposita, qui cottidie fere Latinitati novae amplificandae scientificae student.

Necesse enim est uniformis et unilinguis sit Latinitas toto in orbe culta atque eadem, si eo pervenire voluerimus, ut lingua Latina ligamentum quasi sit quoddam omnes populos coniungens. Terra igitur solis orientis Latine non "Iapan",

sed "Iaponia" vocatur (cf. p. 141^a), ut exemplum afferam. Ut his in rebus technicis seu geographicis se in aliis neologismis quaerendis omnes Latinitatem colentes assentiantur, propono et commendo, ut imprimis respiciantur duo centra Latinitatis vivae, i.e. Vaticanus mons et Saravipontum urbs. Si quod dubium emergerit, inspicienda sunt lexica Neolatina vel professoris Helferi (Lexicon Auxiliare, Saraviponti 1982, editio secunda et multo amplificata 1985) vel patris Caelestis Eichenseeri (Latinitas viva, pars lexicalis, Saraviponti 1982), utrum subnotari et emi potest apud VOCEM LATINAM, Universität FB 6.3, D-6600 Saarbrücken (Saravipontum).

Ibidem phonocasetae quoque veneunt, quorum auxilio pronuntiatius restitutus (qui dicitur) audiri et exerceri potest. Etiam is pronuntiatius, quem linguistae "restituerunt", i.e. quem quam simillimum putant ei, quo Romani aureae Latinitatis utebantur, maximum emolumentum est uniformitatis Latine loquendi adipiscendae. Nulli enim pronuntiatui nationali favens ligamentum vere supranationale est atque comprehensibile et acceptabile omnibus gentibus.

Sed ut finem adeam, nemo seu propter expressiones recentiores seu ob pronuntiatum quemlibet damnabitur vel suspendetur, dummodo sit verus et sincerus Latinitatis cultor. Qua de causa mihi rixae haud raro de "falsa" et "recta" Latinitate viva inter homines doctos exortae inutiles, quin etiam ridiculae, esse videntur. Equidem textum, quem estis lecturi, non ad offendendum quemquam scripsi, sed ad proposita proponenda. Si quis his perlectis perget loqui de "vehiculis vapore agitatis et currus supra orbitas per regiones ferentibus", habeat sibi! Ego praeferam "vaporarias machinas vectorias", sed neminem ideo trucidabo!

Bene valete!

Martinus Meier



Cari legentes

In praefatione libelli 9+10/85 nonnullos versus forma hexametrorum invenistis, quas componere ausus eram. In hos versus nuper accepi epistulam ab amico nostro Bernhardo Christen scriptam, quam libenter publicare velim. Valete!

Udalricus Aeschlimann

Responsum ad redactorem

At tibi pro scelere expellant nugas et Apollo
et Musae feriant ense, poeta, caput.

Quos nam fecisti versus, haud, care redactor,
carmina Vergilii aut molle Nasonis opus.


Quae sit cumque brevis, stupui, vel syllaba longa,
sane oblitus eras, legibus atque notas

bis positas nescis. Immo accentus adhibebas,
en quibus utentes dicere verba solent

Germani. Nugas igitur sine, cede poetis

Barbare, qui versus scribere rite queunt.

B. Christianus Versifax



MORTES

"Leaena" ultimam pugnavit pugnam: Simona Seniorita (Simone Signoret), actrix scaenica cinematographica Francogallica celeberrima, LXIV annos nata, vita defuncta.

Actrix scaenica cinematographica Francogallica magna admirabilisque Simona Seniorita die Lunae - secunda feria -

XXX^o mensis Octobris (pridie Kalendas Novembres) anno MCMLXXXV^o Lutetiae Parisiorum in urbe Francogalliae carcinomate abdominis confecta de hac vita decessit.

Simona autem sub nomine Kaminker die Veneris - sexta feria - XXV^o mensis Martii anno MCMXXI^o Aquis Mattiacis (Germanice: Wiesbaden) in oppido Germaniae ad ripam Rheni fluvii patre Andrea Kaminkero, matre Georgita Seniorita est nata. Pater autem eius Andreas Kaminker (Polonice: Andrzej Kaminker, kamien = lapis) eo tempore - bello mundano seu pancosmio primo paene peracto! - ut officialis munere functus est potestatum olim Francogallicarum occupationis in Germania, sed a prima origine natione Polonus et fidei Iudaicae addictus erat. Bello mundano seu pancosmio secundo tandem peracto Andreas Kaminker(us) munere interpretis principis primi (Chefdolmetscher) Unitarum Nationum Conso-ciationis (UN) Novo Eboraco in urbe Civitatum Cunitarum Americae functus est. Mater autem Simonae, Georgita Seniorita, actrix fuit. Postea, iam etiam actrix scaenica facta, Simona nomen gentilicium matris suscepit et sub eo nomine gloriam famaque sibi comparavit immortalem.

Propositum Simonae, iuris disciplinis studere, in inritum cedit, et Simona curriculum operosum actricis scaenicae capessivit. Anno autem MCMXLVI^o scaenarum dispositori seu ordinatori seu dissignatori Ivio Alacrito (Yves Allégret) nupsit et in pellicula cinematographica illius disposito- ris, cui inscriptio "Daemones albi (diluculi)" (Francogal- lice: Les démons de l'aube) saltus magnus ad prorsum ei contigit. Cum Ivio Alacrito dispositore cinematographico filiam habet Catharinam Alacritam (Catherine Allégret). Anno autem MCMLI^o actori dissignatorique cinematographico Italo Ivio Livio dicto Ivio Montanti (Yvo Livi, dit Yves Montand), die Iovis XIII^o mensis Decembris anno MCMXXI^o Monte Summano Etruriae in Italia nato nupsit.

Simona etiam in rebus litterariis versatam esse constat. Scripsit autem etiam autobiographiam cui inscriptio "No- stalgalia non iam est illa, quae erat" (La nostalgalie n'est plus ec qu'elle était) atque librum "Cras mane subrisit illa" (Le lendemain elle était souriante). Ultimum autem eius opus litterarium est fabula romanensis seu milesia


CCCCCLXVI paginas continens cui inscriptio "Ad Deum, Volodia" (Adieu, Volodia. - Russice: Wolodija, forma hypocoristica nominis Wladimir, Germanice: Waldemar). Liber ille describit fatum e Polonia et Ucraina emigratorum seu peregre profectorum Iudaeorum Lutetiae in urbe Parisiorum nunc viventium.

Iam cancro morbo mortifero exitiali que laborans doloresque vehementes exanclans - licet tot difficultates obsteterint! - pelliculas cinematographicas "Catus" (Le Chat) atque "Domina Rosa" (Madame Rosa) "Tornavit" cum partionario Iohanne Gabinio (Jean Gabin).

Filia eius Catharina Alacrita de matre fortiter pugnante verba splendida dixit haec: "Pugnavit mater, quae leaena dicitur, usque ad finem, atque mortua est illa, sicuti vixit: animo forti et omnibus viribus certans."

Die autem Martis Kalendis Octobribus anno MCMLXXXV^o pompa funeris adhibita exsequisque factis Simonae reliquiae in sepulcreto seu caemeterio orientali (Cimetière de l'Est), dicto caemeterio Patris (Francisci de Aquis) de Cathedra (Francogallice: Cimetière Père (François d'Aix de) La Chaise, 1624 - 1709) Lutetiae Parisiorum in urbe sunt humatae.

AMICUS



CANTEMUS!

Cari legentes

Cum novus redactorum RVMORIS VARIII collegium intrarem, pauca carmina Mani Matteri Bernensis in sermonem Latinum transverti. Sed eo tempore, quo maxime florebat illa ars mirificissima carmina Bernensia componendi, non Mani Matter tantum, sed quinque eius collegae notissimi erant, quorum et hodie nonnulli ancipite successu Bernensiter canunt et componunt. Inter quos maxime mihi placet Fritz Widmer, qui themata carminum plerorumque trahit e vita cottidiana agrestium compatriotarum suorum Emmentalensium, quorum lingua mirum in modum, ut verum confitear, differt ab ea Bernensium urbanorum.

Duo exempla nuperrime in Latinum converti, ut et vos accipiatis, quae composuit Fritz Widmer.

Carmen valedictorium eorum, qui Canadam sunt emigraturi

Nunc decem anni sunt, et quibus hic incolimus,
cum bubus, agnis, equis laeti laboravimus.
Permagnus hortus cultus et agrique fertiles.
Eheu, hoc erat neque est querendum has ob res!

In falso domus loco nam et falso viro est.
Pecunia huic, nobis sed migratio prodest.
Mox destruetur casula nec non contentus sum,
quod ante iam abiero aufugiens horridum!

Per aqua currit puteum, iam māli floritant,
et cattae petunt stabulum, hirundines volant,
fenestram ventus agitat, nil aliud strepitat -
perplacuit nobis vita hic, nos iter onerat.

At circumspiciens ea, quae aguntur apud nos,
permultos vides interire fundos rusticos:
Hoc num est fas, Helvetia? - Rus devorabitur,
mox tantum eris oppidum, nec id concupitur!

In Canadam non reversuri sic egredimur!

De piscibus

1. In caupona exspectant quidam pisces, quos mandant. Caupo cum revertitur, optime distinguitur, uter piscis maior sit. Paulus cogitans dicit: "Petre, quaeso, tu sumas, diu enim exspectas!"
2. Petrus: "Hospes meus es, ergo esset mala res, si te antecederem, primus piscem sumerem." Paulus: "Ne pudeat te, antecedas atque me. Ordo hocce imperat, maior natu eligat."
3. Nobile hoc proelium pergitur, sed stupidum tandem Paulo visum est: Maior piscis captus est: Petrus parvum comedit, tantum denique dicit: "Haud sunt facta lepida, quod sumpsisti antea!"
4. "Utrum elegisses tu?" Paulus rogat strepitu. Petrus tum responsum dat: "Vir minorem captitat bene cultus ut ego." Ad quae Paulus: "Quo modo lamentaris atque cur? Minor tibi traditur!"

Ex hoc aenigmate nobis solum V solutiones missae sunt. Maxime difficile solvendum fuisse videtur, nam inter solutiones missas nullam sine ullo errore confectam invenimus! Nunc quidem omnes, qui certamen inierant, solutionibus quaerendis inveniendisque operam magnam dederunt. Qua ex causa solutiones missas, cum sint falso confectae, ad sortem revocavimus. Hic sunt, qui praemium accipient forma libri vel libelli:

primum praemium:	secundum praemium:	tertium praemium:
Barbara Maier Büölstrasse 7 6440 Brunnen	Ursula Schwenk Aehrenweg 13 5430 Wettingen	Sabine Szidat Sonnenrainstr. 11 4533 Riedholz

Domus editoria
Rumoris Varii

Versio Latina: Martinus Meier

SOLUTIONES

ex aenigmate in RVMORE VARIO
11+12/85 praeposito sunt eae,
quas hic invenitis:



Aenigma

- 1) meritum assequitur
- 2) egredi
- 3) oras
- 4) neque "sunt" neque "erunt", sed
- 5) urna

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

Facete lepideque dicta

Discite, monitae (estis)

In fabrica seu officina quadam Berolinensi documen hoc in pariete est adfixum:

"Carissimae adfablesque operis nostri sociae laborumque participes cooperantesque! - Si stricotriis seu thoracibus laneis nimis amplis amictae estis, cavete machinas, sin autem (strictoriis seu thoracibus laneis = Stricksachen aus Wolle) nimis artis (amictae estis), cavete machinarum ductores seu machinatores (Maschinisten)!"

* * * * *

Id namque, de quo quaeritur...

Repraesentator:

"Quin etiam octo re et veritate Germanorum decem (octo de decem Germanis) iam illo graphio sphaerato (Kugelschreiber) - omnibus his octo approbantibus! - ad scribendum capiunt (scribendo utuntur)!"

Emptor: "Magnifice quantum, edepol, sed quorsum (ad quamnam rem) ceteri illi (duo Germani illo graphio sphaerato) utuntur?"

* * * * *

Quid tibi videtur?

Aegrota: "Finge, medice mi, pronuper verum enimvero novies - eheu! - sternutavi! Quid tibi videtur, quid dicis?"

Medicus: "Novies salutem tibi, novies quod Deus bene vortat!"


* * * * *

Move te ocius!

Breviter ante operationem medicus chirurgiae peritus consilium aegroto dedit hoc: "Quattuor horis abhinc ex lecto iam porrigere, tempore autem postmeridiano iam exsurgere atque te erigere, sub vesperum tandem iam ad locum secretum munditiarum ire tuum est (officium)!"

Tum aegrotus obstupefactus perturbatusque: "Mirum quantum, mehercle, sed intra operationem fortasse et breviter post - id quod vehementer spero! - aliquantulum cubare mihi licitum concessumque siet!"

"Cavete canem!"



AMICUS

RIDEAMUS!

1. Sacerdos quidam in vici coemeterio moros poni iubet. Paucis annis post foliorum lucro sacrarium funebre novum aedificat. In fronte aedificii autem haec verba ambigua legere potes: mori lucrum.
2. Romae fabula ad vitam Romuli pertinens acta est. Romulus et Remus in scaena visi sunt. Romulus partem suam agens dicere incipit: "O! Remus....." Statim spectatores cuncti manus iungentes orare coeperunt.
3. Magister linguam Latinam docens in locis Germaniae meridianis in discipuli cuiusdam exercitationibus iterum atque tertio verbum "hostes" invenit. Quod nusquam significationem ullam habet. Cur autem discipulus ille iterum iterumque verbum "hostes" scripsit? Amicus sane ei textum in calamus dictaverat persaepe interrogans: host es?

host es = hast Du es? (Deutsch in bayrischer Aussprache)

Barbara Maier

In penetralibus mulierum

Num vos, dilectissimae lectrices, emere, ferre et, si datur occasio, maritis et sponsis demonstrare intima vestimenta pudet? Minime quidem, cum temporibus nostris, aliter ac prioribus, summa laus sit feminis quae non dubitantes maximam sui partem detegunt. Gunnae perbreves balnearesque vestes tam exiguae (topless) quam liberissimam imaginem muliebrem ante oculos ponunt a qua longissime abest verecundia. Itaque ad ipsa vestimenta veniamus quae roseam feminarum pellem mulcent. Pudor non obstat quin de strophis et fasciis, tibialibus et subligaculis hic loquamur.

Apud Graecos et Romanos dominae et dominulae sub tunica

pectus adstringebant fascia quam 'strophium' et 'mamillare' vocabant. Romanae autem binas tunicas induebant, quarum exterior 'inducula' aut 'supparus', interior 'subucula' dicebatur. Circum latera fascias coriaceas ponebant, quibus Graece 'apòdesmos' et Latine 'zona' nomina erant. Maris erat post nuptias uxori zonam solvere singulis noctibus!

Per mediam aetatem, cum desiit balnearum consuetudo, ignoramus num feminae sub tunicis fluentibus sibi induerint fascias quae sinum et latera continerent. Pro certo habemus illas contagione cutis indutas fuisse camisia longa e lino quae originem ducebat a tunica intima Romanarum: minus lavabatur, crebrius tamen illa mutabatur. Apparent XIII^o saeculo 'femoralia' (feminalia) (1), quae oriuntur a braciis; apud Romanos iam duae exstabant tunicae, sic nunc duo sunt viris genera bracarum: bracae externae et intimae. Quas honestis mulieribus per quinque saecula non licet sibi induere, quia indumenta virilia habentur et XVI^o saeculo tantummodo scorta sub gunnis gerunt. Eodem saeculo misere venit in morem 'thorax' rigidus (2), loricae similis, grave tormentum artificiose figuram muliebrem deformans. Dum mammae et pectus valde comprimuntur tali machinamento, gunna amplissima fit. 'Thorax' viget, eheu!, per tria saecula.

Exeunte saeculo XVIII^o novissimi casus qui in Francogallia eveniunt signum dant liberationis: libentissime se thorace levant mulieres et levi strophio, exempla tenentes Graecarum et Romanarum, pectus velant.

At levaminis brevius intervallum conceditur mulieribus! Saeculum XIX^{um}, 'romanticum' vulgo nuncupatum, mamillare negligit et thoracis celebrat triumphos: iterum pectus femineum contra naturam stringitur, quamvis a mulieribus oppressis stent plerique medici et philosophi. Attamen ineunte XIX^o saeculo licet antea feminis equitandi peritis, deinde nobilibus, denique omnibus (ad medium saeculum) masculinas ferre bracas interiores ('feminalia', quia femur tegunt) quae sunt longae lataeque et, quamquam cerni non possunt, opibus pictis denticulatisque copiose ornatae.


Post prius bellum universarum gentium, circiter MCMXX^{um} annum, miracula tandem eveniunt: thoracis omnis memoria

deletur, denuo placet fascia mamillaris (3) quae suavissime continet papillas. In eam usque dies nostros universa beneficia mulieres conferunt. Apparet etiam unum indumentum quod camisiam femoraliaque iungit, 'hyponium' (4). Nunc gunnae ad genua ascendunt et tibialia (5) patent obtutibus: commoda sunt et servant carnis colorem, textilibus sericis confecta. Per XL annos hae manent vestes intimae mulierum: strophium, hyponium, feminalia, tibialia. Iam annum MCMXL^{um} haec non iam serica sed fibris artificialibus synthetisque consuta minorem sumptum sinunt et recentissimis annis omnes mulieres, quicumque est status, in promptu habent apud pantopolia.

Post annum MCMLX^{um} necopinato in morem veniunt tibialia adhaerentissima tenuissimaque, quae universe 'collants' dicuntur: ea quattuor 'stropi' (6) tenent fasciae elasticae (7) quae latera fingit. Feminalia minuuntur in annos nuperrimeque pleraeque feminae summe delectantur feminalibus brevissimis substrictisque, quae primi viri Americani iam induerunt: iis nomen est 'slip', quae vox Anglica valet 'labi', quia facillime induuntur exuunturque. Adhuc minor est 'tanga': triangulum sic tenue et minutum ut imum pubem tantummodo tegat. Quamvis occulta maneant, haec multicoloria prostant: alba, nigra, caerulea, rosea, cum orbiculis et scutulibus, quomodocumque praefertis. Et est unum indumentum camisiola minimisque feminalibus constans, quod Italice 'pagliacetto' et Francogallice 'combinaison-pantalon' vocatur, dum mulieres pingues ventrem circumdant fascia elastica (Bauchbinde).

Si adhuc quisquam cognoscere avet quid sub 'slip' celetur, audebo dicere: panniculos menstruales (8), qui femininum bibunt umorem. Nuda cum illis patent pudenda.

Ecce strophium elasticum et feminalia minima. Hic habitus abhinc saeculum summam apud omnes offensionem habuerit!



(1) femoralia	Unterhosen/mutande/caleçon
(2) thorax	Korsett/busto/corset
(3) fascia mamillaris	Büstenhalter/reggipetto/soutien-gorge
(4) hyponium	Unterrock/sottoveste/combinaison
(5) tibialia	Strümpfe/calze/bas
(6) stropi	Straps/giarretiere/jarretelles
(7) fasciae elasticae	Strumpfgürtel/reggicalze/porte-jarretelles
(8) panniculus menstrualis	Damenbinden/assorbenti/serviettes hygiéniques

Florindo Di Monaco



De patientia Romam visitantibus adhibenda

sive

DE URBE ROMA AETERNA NARRATIO AB ALIIS NARRATIONIBUS
DIVERSA

Narrationis pars prima

Anno praeterito mense Octobri iter meum primum Romam feci una cum uxore liberisque meis. Quam urbem, cuius gloriam laudemque totus orbis terrarum carmine perpetuo decantat, adhuc non noveramus nisi nostris studiis rerum historicarum iam dudum praeteritis, quibus, dum manebant, permultos libros de urbe Roma inscriptas legeramus. Nunc tandem, post multos annos Romam quinque dies visitare constituimus! Aeroplano vecti appulimus ad urbis aeroportum "Ciampino". Hic coenautocinetum (1) conscendimus, quo ad deversorium nostrum media in urbe situm veheremur. Dum eo vehebamur, multa monumenta antiqua et mediaevalia, quibus haec urbs abundat, per fenestras conspiciebamus. Quae puella

amoenissima nobis comes per totum iter data megaphono coenautocineti implantato explicatura erat. Orationem perficere autem ei non contigit. Vox eius enim, postquam omnes peregrinatores coenautocineti insidentes salutavit et de monumentis historicis oculos praetereuntibus narrare coepit, improvise conticuit (accuratius dicam vocem eius per megaphonum auditam subito evanuisse). Labra eius rubricolorata - ipsa stabat in fronte coenautocineti - semper moveri videbamus; quae autem de monumentis aedificiisque Romanis porro declarabat, a nobis in sedibus posterioribus coenautocineti sedentibus non iam audiebantur.

Deversorium adepti descendimus. Postquam sarcinas e vehiculi ventre traximus, vestibulum intravimus. Hic a tribus ianitoribus deversorii salutati sumus. Quorum alter nobis claves conclavium occupandorum mandavit; alter nobis portam anabathri (2) comiter aperuit, ut sarcinis nostris onerati commodius intraremus; tertius autem "Ignoscatis, quaeso," inquit "quod conclavia vobis nondum paratae sunt; necesse est vos meridiem exspectare, quo tempore occupetis!" Impediti, quominus corpora longo itinere delassata in conclave reficeremus, casu animadvertimus illum ianitorem, qui nobis anabathrum aperuisset, vultu dissimulante portam anabathri recludere parvam tabulam, qua verba NON FUNZIONA legebantur, afficientem. Consolationem pro tantis incommoditatibus pervictis quaesivimus: Oecum pitorium (3) vestibulo finitimum intravimus, ut in eo animos nostros haud laetos bibendo placaremus. Hic sedilibus praealtis (4) poculantes inservitorem (5) aliquantum lacesiti interrogavimus: "Cur tabula anabathro affixa indicatur anabathrum non movere? Nonne deceret aperte confiteri conclavibus nondum paratis inutile esse anabathro uti?" - "Nullo modo ita est, ut censetis," inservitor modeste respondit "nam re vera anabathrum hoc momento non movet propter fluentum electricum (6), quo deversorium non alitur nisi certis horis. Sed agite, dicite, quid bibatis, hospites, nisi fallor, Helvetici?" - Ad quae uxor et ego - pudore affecti, quod originem nostram Helveticam e moribus nostris primo visu audituque

recognoverat, voce iam multo minus audaci iussimus liquorem, liberis limonatum (7) dandum. Quae dum bibimus, inservitor, homo etiam in peregrinos comis, humanus, hilaris "Consilium" addidit "vobis dare velim, quo feriis Romae peragendis optime fruamini: Hac in urbe semper memores sitis verbis "PAZIENZA", quod apud nosmetipsos Romanos quasi locum proverbii obtinet!"

Quam bene nobis consuluerit, manifestabant dies, qui secuti sunt...

Post meridiem illius itineris primi diei excursionem fecimus in varias partes urbis, ut primo conspectu aedificia, monumenta, plateas urbis principales videremus. Quam excursionem eodem coenautocineti fecimus, de quo iam narraui. Is, qui vehiculum regebat, vir aequo animo maxime admirabilis, munere gubernatoris fungebatur simul coenautocinetum regens, cum aliis autoraedariis (8) per fenestram apertam disputans, omnia spectanda voce altissima docens (megaphono autem uti si voluisset, infelix operam perdidisset, ut iam cognovistis!). In viis urbis Romae autem die et nocte tantum chaos vehicularium (9), quantum is, qui aliquando viderit, numquam describere possit; eo mirabilius erat videre, quam alacriter et hilariter gubernator coenautocinetum informe et ingens suum per turbam peditum, autoraedarum (10), aliorum vehiculorum dirigebat, semper nova docens, nova spectabilia monstrans, quaestionibus nostris habitis comiter respondens. Cum unus e vehentibus - eramus illo die societas triginta fere peregrinatorum - eum interrogavisset, quomodo efficeret, ut in tali coetu strepituque hominum vehiculorumque semper aequum animum conservaret, respondit: "Is, qui tali contumeliae perpetuae - quae est vita in hac urbe mea patria - vivus superesse velit, curet, ut patientiam adhibeat. Nos Romani enim sumus civitas quinquages centenorum milium (11) hominum, quae vicies centenis milibus (12) raedis meritoriis (13) utimur. Hac in urbe nisi in omnibus rebus faciendis patientiam maximam adhibueris, omnino nihil attinges; quo patientius te in hoc flumen (vel dicam melius stagnum!) vehicularium merseris

eo celerius progredieris his viis stratisque Romanis." -
Dixit et colloquium, quod una cum autoraedario vicino,
aequali velocitate prope se vehente ante iam inierat,
continuit...

Hac excursione, qua nobis tota urbs de colle "Ianiculum"
nominato praeclarissime visa est, finita sero in deversor-
ium reversi sumus.

Postero die mane surreximus, ut singula maiore quiete et
otio inspiceremus, quae pridie vix videramus: Plateam
Navonam (14), Plateam Hispanicam (15) et multa alia urbis
loca, quae peregrinator Romae non visitare numquam audeat.
Quid dixi? "Ut quiete et otio inspiceremus"? Profecto,
hercle, ita faciebamus, sed magis nolentes quam volentes,
vel dicam melius coacti, ut quiete et otio fruere-

mur!
Quod cur ita evenerit, proximo libello, si placet, narrabo.

Udalricus Aeschlimann

- | | |
|--------------------------------|--------------------|
| (1) coenautocinetum, -i, n. | Autobus |
| (2) anabathrum, -i, n. | Fahrstuhl, Lift |
| (3) oecus potorius | Bar |
| (4) sedes praealta | Barstuhl |
| (5) inservitor | Barmann, Barkeeper |
| (6) fluentum electricum | elektrischer Strom |
| (7) limonata, -ae, f. | Limonade |
| (8) autoraedarius, -i, m. | Autofahrer |
| (9) chaos vehicularium | Verkehrschaos |
| (10) autoraeda, -ae, f. | Automobil |
| (11) quinquagies centena milia | 5 Millionen |
| (12) vicies centena milia | 2 Millionen |
| (13) raeda meritoria, f. | Taxi |
| (14) Platea Navona | Piazza Navona |
| (15) Platea Hispanica | Piazza Di Spagna |

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

1+2 / 86

IDIBUS FEBRUARIIS

MCMLXXXVI



RVMOR VARIVS



TOMUS 9

FASC. 57